

1.

CONRADI GESNERI MEDICI DE RARIS ET
ADMIRANDIS HERBIS, QUAE SIVE QVOD NOCTV
luceant, siue alias ob causas, LVNARIAE nominan-
tur, Commentariolus: & obiter de alijs
etiam rebus quæ in tene-
bris lucent.

*Inferuntur & Icones quadam her-
barum nouæ.*

EIVSDEM DESCRIPTIO MONTIS FRACTI,
siue Montis Pilati, iuxta Lucernam in Heluetia.

HIS ACCEDVNT

10. DV CHOVL G. F. Lugdunensis, Pilati Montis
in Gallia Descriptio.

10. Rhellicani STOCKHORNIAE, qua STOCK-
hornus mons altissimus in Bernensium Heluetio-
rum agro, versibus Heroicis describitur.

TIGVRI

Apud ANDREAM Gesnerum F. & M-
COBVM Gesnerum, fratres,

CL. V. D. Rod. Guallhero amico candidiss.
Con. Gesnerus D. D.

stat quia per alterius animalis tactum talia non apparent. Et fortè si penitus à crimine purus accederet homo, talia non contingerent. peccatis uerò contaminato coniunctus, facit ipsum magis tale, & prouocat aliàs facilliter prouocandum. Nam & alinus Balaam angelum uidebat, quem propheta peccatis suis exigentibus uideri non poterat.

Lacus simi-
lis inter Bo-
noniam &
Pistorium.
Mons Veneris.

Constat mihi quòd in alpibus inter Bononiam & Pistorium ciuitates, prope castellum Sambuci similis mons est, & lacus eiusdem dispositionis ad prouocandum tempestates horribiles. Et supra diximus de monte Veneris ad tempestatis coruscationem sæpe prouocato. Sed quid dicemus ad hoc quod legitur Ioannis quinto? Angelus Domini descendebat in piscinam probaticam, & mouebatur aqua, & sanabatur unus homo. Et nimirum si propter maledicti corporis Pilati præsentiam ibidem sepulti, aliquis angelus malus descendit in aquam tam maledictam, non tantum homo, sed & terra, nec non hominum possessiones inficiuntur. Sed de hac materia plenissimè uide Thomam in tractatu de Sortilegis, Hucusq; Malleolus.

Scaphagiolus lacus modicus in Apennino, qui inter agrum Pistoriensem atq; Mutinensem sublimatur, miraculo magis quàm aquarum copia mirabilis, &c. Boccatius, idem de eo narrans quod de palude Pilati fertur.

DE CIBIS SIVE OPERIBVS LACTA-

rijs quibus in monte resecti sumus.

DE lacte & operibus lactarijs libellum iam olim edidi. quamobrem nunc breuior ero.

Lac optimum, pingue & suaue.

Crema lactis, qua feruefacta panis offas aut segmenta perfundunt. ein Nydelbrot.

Butyrum recens & suauiusimū. Caseus. Recocta simplex, ex lacte recocto, butyro & caseo iam separatis. Ziger.

Recocta pinguis condita polline foliorum imperatoria, sunt qui & lotum odoratum & dauci montani genus addant.

addant. talem alicubi uocant *Müerziger* à loco, ni fallor, ubi præstantior fit.

Serum casei, id est à caseo separato reliquum. *Suffy*.

Serum butyri, à butyro separato relictum. *Anckenmiltch*.

Hæc in monte. In urbe uerò uaria & lautissima caseorum genera inuenimus, ex quibus Engelbergensem maxime probarim, à quo butyri nihil separatum uidetur, præpinguem, suauem, mollem & (ni fallor) oxygalactinum, quem medici probant. Is apud Subsylvanos circa Engelbergam cœnobium conficitur, modico ambitu. nam bini ferè drachma uæneunt. recens tantum placet.

DE STIRPIBUS DIVERSIS IN

eodem monte repertis.

LONchitis altera scolopendrio similis, latioribus longioribusq; folijs. inferiore montis parte.

Elleborus albus.

Silybus, quam uulgò carlinam uocant, Germani radicem apri, in colle dextro uallis Eijetalę. cuius capitula carnosâ, calyce, floribus ac semine resectis, optimi edulij loco nobis fuere ex aqua cum sale, lautiora etiam pipere adiecto futura.

Conyzæ alpinæ genus, sesquicubiti aut amplius proceritate, corymbis florum luteis. fibris radicum albis, plurimis & conferctis, subamaris. à pecore non attingitur. Pastorum pleriq; *Böni* uocant, aliqui *Goldfrut*.

Vitis Idæa nigris acinis.

Vitis Idæa rubris acinis, acidior & minus grata.

Rubus Idæus fructu rubi ferè, absq; ullis spinis. humilis planta, lignosa radice. folijs rubi uel fragi. acinis binis, ternis, aut singulis in uno fructu. acido sapore. in saxo.

Herba cerui ut quidam appellant, sed alia quàm elapho boscon: folijs chamædryos, lignosa, repit, subastringit, insipida ferè. semine lanuginoso, ut uitis syluestris caustica ferè. flos iam defluserat. albus est, si bene memini.